

## DISSERTATIO SEPTIMA

DE VARIIS MODIS, AC CAUSIS,

QUIBUS LEGITIMA SEMEL CONTRACTA

CONJUGIA DISSOLVUNTUR.

Huc referendi sunt tit. 18. & 19. lib. 4., tit. 32. lib. 3., & tit. 16. lib. 5. Decretalium.

## CAPUT I.

*Generalia quædam proponuntur præcepta in dissolvendis conjugii observanda.*

**I**n legitimis conjugii semel contractis tria consideramus: Primò vinculum, quo veluti nexu quodam ex fide præstita vir & uxor invicem junguntur, quo fit, ut interea nec maritus aliam superinducere uxorem possit, neque uxor alteri jungi marito: Secundò cohabitationem, quæ in individua vitæ consuetudine consistit: Tertio thorum, cujus scilicet usu liberorum procreationi conjuges vacant. Quamobrem aliquando contingit, ut dissolvantur conjugia quoad thorum tantum, quin ab individua vitæ consuetudine recedatur, eove minus matrimonii vinculum dirumpatur; aliquando contingit, ut dissolvantur conjugia quoad thorum simul & cohabitationem, integro manente matrimonii vinculo; aliquando denique contingit, ut dissolvantur conjugia etiam quoad vinculum, ita ut liceat alterutri conjugii alias nuptias celebrare. Generalis quidem regula docet, indissolubilia esse conjugia, quod vel ex ipsis naturæ institutionibus derivari commodè potest, præsertim si consideremus firmitatem illam, quam inditam videmus primo

protoparentum conjugio, cap. 2. Geneseos, quamque validiorem adhuc reddidit in Evangelio Christus Dominus, ubi abrogato repudio veterum, nunquam voluit regulariter conjuges dissociari: Nihilominus tamen singulares sunt exceptiones, quas vel ipso divino jure expressè traditas scimus, vel ex ecclesiasticis institutionibus ad juris divini explicationem formatas accipimus.

Modis & causis dissolvendorum conjugiorum modò indicatis addi potest, aliquando fieri locum dissolutioni conjugii, non quòd propriè dissolvatur, sed quòd declaratur, ab initio irritum fuisse; quemadmodum contingeret, si proponeretur, tale in contrahendo conjugio impedimentum fuisse, quo contrahi conjugium nullo modo posset, quodque Pragmatici vulgò dirimens impedimentum appellant. Hac in specie competens Judex, antequam declarat, irritum matrimonium fuisse, interdicit conjugibus dissolutionem petentibus, ne interea alias nuptias celebrent; item ne invicem cohabitent, eove minus conjugio utantur, donec quæstio per sententiam definitur, cap. 4. de sponsa duor., cap. 4. de conjug. serv., cap.

cap. 1. & passim de matr. contr. contrah. interd. Eccl. Quod autem dicitur de cohabitatione interdicens, ita intellige, si notorium sit impedimentum, aut jam idoneis testibus comprobatum, cap. 3. de eo, qui cognov. consanguin. quemadmodum quod dicitur generaliter de interdicendo usu conjugii, exceptionem habet in ea specie, qua agatur de impedimento impotentiae viri, quousque legitimum tempus præterlapsum non est experiendi vitii causa, juxta ea, quæ superius suo loco tradita fuerunt.

Quæcumque sit dissolvendi conjugii causa, vel ratio, si unam excipias dissolutionem thori ex consensu factam, aliter rata esse non potest, nisi publica auctoritate firmetur, Judice, ad quem pertinet, cognoscente; etenim non privata, sed publica causa in eo versari videtur. Quamobrem apud veteres Romanos nullum divortium valere poterat, nisi coram septem testibus fieret, l. 9. ff. de divortii; exemplo, ut puto, testamentorum, quæ pari solemnitate indigebant, quòd publicam similiter in ius versari causam existimarent, l. 3. ff. qui testam. facere. Recentiore ætate, ubi non à conjugum arbitrio divertendi causæ pendere ceperunt, sed jure publico determinari, non satis fuit coram testibus dissolutum conjugium dicere; ut enim omittam, quæ in hac parte in legibus Justiniani traduntur, Nov. 117. cap. 13., & Nov. 134. cap. 11., ad quas respiciens Balsamon in canone 48. ex Apostolicis, ait: *Antiquitus quoque non fiebat libere divortium, nisi cum cognitione Judicis; & Blastares in syntagmate alphabetico littera G., cap. 13. ait: Non tamen aut mulier arbitrari suo divertere potest à marito, aut maritus ab ipsa sine iudicio & sententia Judicis, quemadmodum diversa Justiniani Novella statuit; Ecclesia jamdiu decrevit, non nisi causa cognita divortia conjugum admitti, qualescumque subesse divertendi causæ proponantur.*

Primum adparet in Concilio Agathensi decretum, ut causæ dissidii in Provinciali Concilio examinarentur, can. 1. caus. 33. quæst. 2., deinde cum ob temporum injurias Provincialia Concilia vix celebrari identidem juxta veterum canonum disciplinam possent, argumento cap. 25. de accusation., receptum est, ut coram Episcopo rei discussio fieret, & illius sententia aut divortium indiceretur, aut etiam, ubi causa sufficiens esset, matrimonium aut rescinderetur, aut irritum declararetur, cap. 7. de sent. & re judic., cap. 3. & 6. de divort., cap. 1. 2. & 4. de conjug. serv., cap. 5. de procurat., cap. 2. & 3. de donat. int. vir. & ux. cap. 16. de offic. & pot. Jud. deleg. quod etiam tum verum est, cum notoria sit divortii causa, cap. 3. de divort. Illud cognoscentibus Episcopis in hac re observandum imminet, ut summario iudicio de causa cognoscant, id est, ut ajunt Pragmatici, controversiam dirimant sine strepitu, & figura iudicii, ne fortè odiosas dissidii causas diutius & forensibus ambagibus fovere aliquando videantur, cap. 1. ut lite non contestata, Clement. 2. de iudiciis. Concilio Tridentino hujusmodi causarum cognitio denegata fuit Archiepiscopi, aut Decanis; & Episcopis reservata, cap. 20. sess. 24. de Ref., visæ enim sunt matrimoniales causæ admodum graves, & non nisi à majoribus iudicibus dirimendæ, argumento capitulo 9. de in integr. resit., capituli 1. de consanguinit. & affinit., juncto capitulo de procurat. in 6. Non inde tamen inferes, de eisdem causis judicare non posse Prælatos alios non Episcopos jurisdictionem habentes Episcopalem, seu quasi; nam in cap. 1. de consanguin. & affinit. licet concludatur, matrimoniales causas per quoslibet indiscriminatim non esse tractandas, tamen Abbati Cassinensi ea jurisdictione non denegatur; & in cap. 12. de excess. Prælat. Abbatibus facultas fit de causis ma-

matrimonialibus cognoscendis, quoties quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa hujusmodi valeat se tueri. Neque inde inferri potest, Vicarium generalem Episcopi non posse ex Episcopi mandato cognoscere, & judicare; etenim Tridentinum Concilium tantum in hac re voluit vindicare Episcopale munus, exclusis Prælati inferioribus in Diocesi constitutis, qui singulari titulo jurisdictionem sub Episcopo, quidem, sed ab Episcopali jurisdictione distinctam exercent; non eos excludere, qui unum & idem habent cum Episcopatu tribunal, eandemque cum Episcopo explicant potestatem.

Observandi præterea sunt modi, quibus dissolvendum conjugiorum controversiæ in judicio instituatur, ac finiantur. Quæ in re duo præcipue consideranda occurrunt. Primum est de eo, ad quem in judicio agere pertinet; alterum est de probationibus, quibus mens judicis ritè instruat. Si quæras de iis qui possunt matrimonium dirimendum vel dissociandum proponere, distinguendum est inter causas illas, quæ jure probantur beneficio conjugum, quemadmodum contingit, si ex. gr. proponatur matrimonium nullum esse ex errore, vel metu; item irritandum esse causa ineunda religiosæ vitæ; item dissociandam habitationem ob mariti sævitiam, vel quid simile; atque inter causas illas, in quibus publica res versatur, quod nimirum publicè intersit, matrimonium diutius non consistere, uti contingit, cum duo consanguinei, vel affines conjuncti sunt, vel cum sine præsentia Parochi & testium ad cohabitationem sponsorum devenit est ommissis solemnitatibus conjugii, aut quid simile. Etenim in prima specie solis tantum conjugibus permittitur agere in judicio dissolutionem conjugii pro qualitate rei, exclusis extraneis quibuscumque, propterea quod tantum intersit ipsorum, argum. cap. 26. de sponsal., cap. 2. & 4. de conj. servor. cap. 5. de frigidis, & alibi passim. At

in altera specie quicumque extranei, dummodò legitimis documentis sint, quod proponunt, probaturi, dummodò præterea non sint suspecti de dolo, aut mala fide, ut in specie capituli 5. & 6. qui matrimon. accus., ad accusandum admittentur. Agitur enim de causa publica, in qua non actio, sed accusatio proponi videtur, ut docet vel ipse titulus Decretalium, Qui matrimonium accusare. Quod adeo verum est, ut etiam si agatur de personis, quæ conjugibus ipsis, de quorum dissociatione agitur, sanguine sint conjunctissimæ, nihilominus denunciaturæ apud competentem judicem audiantur, can. 1. & seq. caus. 35. quæst. 6., cap. 3. & 4. qui matrim. accus., præsertim autem consanguinei audiendi erunt, ubi irritum conjugium proponitur causa consanguinitatis, vel adfinitatis conjugum; hæc enim vincula consanguinitatis, & adfinitatis magis comperta propinquieribus præsumuntur, quam extraneis.

Probandi ratio quadruplex proponi potest. Etenim, quæ in judicium deducuntur, probantur vel scripturis, vel testibus, vel confessione partium, vel eandem partium jurejurando. In primis quod spectat ad scripturas, nihil in hæc materie singulare occurrit in sacris Canonibus cautum. Hinc quoties tale gestum per scripturas ostendatur, quod per se matrimonium irritat, probatio admittitur, quoties nihil sit, quod tabularum conditarum auctoritati juxta generales instrumentorum leges opponatur; quemadmodum ex. gr. si proponeretur literis Episcopalibus ostensis, quemquam in sacris Ordinibus constitutum matrimonium celebravisse. Animadvertendum tamen erit judici, ne faciliè scripturis minus authenticis credat, ne fortè illarum occasione legitima conjugia facile dissolvat. Quid enim, si ex. gr. ignota manu illius, qui pietatem ac religionem simulat, moneretur Episcopus, ne patiat diutius quosdam in conjugio consistere? Habenda quidem erit gravissima do-

doli fraudisque suspicio, & rejicienda epistola, cap. 2. qui matrim. accus., & tantum licebit conjecturam capere, cuius demum accedentibus aliis perspicuis probationibus, indulgeatur.

Discutienda erit diligentissimè etiam testium fides, si qui ab agentibus producantur, vel si qui iudicis officio vocati sese exhibeant. Etenim cum dissolutio conjugii, vel dissociatio conjugum res sit momenti gravissimi, non faciliè ejus causa sine discrimine personarum testimonia recipiunt. Primum investigandum erit, an tales sint testes, qui verosimilem rei, de qua testantur, notitiam habere poterint atque hinc profectum est, ut etiam consanguinei admittantur, ubi agatur de investiganda cognitione, quod ipsi cognitionis notitiam habere præcipue præsumantur, licet aliàs verum sit, consanguineos excludi à ferendo testimonio in causis consanguineorum, can. 1. & sequentibus caus. 35. quæst. 6., cap. 3. & passim qui matrim. accus., cap. 5. de testibus. Secundo observandum erit, testes debere esse præclaros, & bonæ opinionis, cap. 4. qui matrim. accus., cap. 4. eod. tit. 1. Collectione. Tertio observandum ne fortè ad accusandum matrimonium accesserint spe præmii proposita, vel similibus de causis, c. 5. eod. tit. apud Gregorium IX. Quarto non aliter admittentur testes, quam si de jurejurando profiteantur, se accessisse ad testimonium ferendum studio pendendæ veritatis, ac religionis, cujus jurejurandi formulæ leguntur apud Gratianum in caus. 35. quæst. 6. can. 5. & sequent. Quinto cum testimonium fertur, quamquam olim admitterentur testes ex auditu, quando ante Concilium Lateranense cognitionis gradus ad septimum usque extenderentur; postquam tamen cognatio quarta generatione concluditur, testimonium de auditu non faciliè recipitur, nisi testis graduum notitiam & ipse præferat, cum non adeo difficilis esse videatur quatuor graduum computatio, cap. 47. de testibus. Denique

testes ipsi, ubi gradus consanguineorum computant, non aliter erunt audiendi, quam si à communi conjugum stipite ad ipsos conjuges usque descendant, aut saltem incipiant à germanis fratribus, vel sororibus; neque enim sufficeret, à secundo tantum gradu cognationis jura exoriri, cap. 7. de consanguin. & affin. Non memoro, sicut in cæteris, ita & hæc in parte, uni tantummodo testi non faciliè esse credendum; quamquam enim unicus testis sufficere possit, ubi necdum contractum conjugium fuerit, ne inde ob certa impedimenta opposita contrahatur, aliud tamen observandum est, ubi agatur de dissolvendo conjugio jam contracto, cap. 22. de testibus.

Partium, seu conjugum spontanea confessio, etiam si sit sacramento iurjurandi firmata, in hoc proposito minime sufficit, cap. 2. qui matrim. accus. in 1. Collectione Decretalium, nisi alia gravissima testimonia concurrant, can. 3. caus. 35. quæst. 6. Quamquam enim verissimum sit, aliquando ex unius conjugis confessione matrimonium, de cujus vi disputatur, posse consistere, quemadmodum in specie canonis 3. caus. 33. quæst. 1., & capituli 1. de frigid. & malef. nunquam tamen definitum scio simili conjugum confessione posse dissolvi, nisi & alia concurrant veritati edocendæ argumenta, can. 1. & 2. caus. 33. quæst. 1., cap. 5. & 7. de frigid. & malef., cap. 3. & 5. de eo qui cognovit, cap. 11. de sentent. & re judic., siquidem proniores esse debemus ad sententiam ferendam favore matrimonii semel contracti, quam simus ad conjugium dissolvendum; aliàs autem plura suborientur in Re publica incommoda, quæ non deessent conjuges, qui amore secundi conjugii contrahendæ faciliè fateantur, sibi subesse justas causas initi conjugii dissolvendi. Neque est, cur opponas capitulum 2. de consanguin. & affin., etenim si quid credatur sponsorum confessioni, id locum tantum habet in conjugio nondum contracto, in

quo contrahendo si sponsus inesse impedimentum adfirmet, non erit celebratio conjugii ab Ecclesia probanda; secus autem sese habet res in dissolvendo contracto conjugio, cum Ecclesia sit æquè sollicita, ut nonnisi jure contrahantur, ac ut nonnisi jure dissolvantur contracta matrimonia. Eodem modo interpretaberis capitulum 12. de sponsalib., ad quod tamen posses animadvertere agi ibi non de conjugis tantum confessione, sed etiam de alterius crimine conscii testimonio. Ex istis facile colliges, non esse favorabilem divortii causam, neque alias pro divortio admittendas probationes, quam quæ sint omnium gravissimæ. Quod verum est præcipuè in iis causis, quæ ex jure ecclesiastico proponendo divortio occasionem dederunt. Nam si ageretur de divortio, quod certis in casibus ex juris divini auctoritate faciendum proponeretur, majore prudentia

opus erit judici, quemadmodum etiam cautius agendum erit, ubi agatur de dissolvendo conjugii vinculo, quam de conjugibus tantum dissociandis. Non est omitendum postremo loco, Benedictum XIV. in sua Constitutione *Dei miseratione* anni 1741. §. Novembris statuisse, ut in singulis Diocesisibus designarentur matrimoniorum defensores. Quemadmodum enim iudex ex officio procedere potest ad dirimenda conjugia, contra quæ denunciatio proposita fuerit, etiam sine accusatione, ubi legitima sit dirimendi conjugii causa; ita è converso adjuvandum est iudicis officium dato conjugii defensore, ubi fortè conjuges ipsi dissolvendum conjugium proponant, ne certas causas, fortè inanes, etiam colludendo prætexant, ut conjugium ritè contractum defensoris opera, ubi opus sit, confirmetur.

## CAPUT II.

### *De dissociatione conjugum, vel quoad thorum tantum, vel quoad cohabitationem.*

Quoties tantum agatur de thori separatione, nulla dubitatio est, quin ex mutuo consensu spontè conjuges ad eam devenire possint, quod vel ipse Paulus Apostolus quandoquæ expressè suscit in cap. 6. epist. 1. ad Corinth., & certis statisque temporibus jubere visum sunt Ecclesiastici Patres, quorum monumenta plurima extant in caus. 33. quæst. 4., à me aliàs superius explicata. Item thori separatio fit, quoties alteruter ex conjugibus vitio laboret impotentia, vel quæ ab initio fuit, sed utrique conjugi cognita, juxta capitulum 4. de frigid. & malefic., vel quæ post initum matrimonium supervenerit, can. 25. caus. 32. quæst. 7. Item necessario thori separatio injungenda est, quoties dubitatur, an matrimonium ju-

re contractum fuit, putà quia suspicio est intercedentis inter conjuges adfinitatis, atque alterius cujusquam impedimenti; atque cum occulta adhuc res sit, nondum dissociantur conjuges quoad cohabitationem; item, quoties certum est, conjuges illegitimè fuisse conjunctos, atque ob privatum, seu non publicè patens impedimentum petita est, necdum ob tenta superioris ecclesiastici dispensatio. Qua in re aliquando evenire potest, ut ex conjugibus unus ad thori dissociationem teneatur, alter verò jure thori uti licitè possit. Quid enim ex. gr., si unus voto continentia ignorante, vel invito altero conjugè se obstrinxerit? Ipse quidem vovens à debito petendo abstinere, quod tamen tenebitur reddere postulant, can. 1. & passim caus. 33. quæst. 5. cap.

### *De dissociatione conjugum.*

cap. 11. de convers. conjugat. Quid, si maritus consanguineam uxoris, aut uxorem consanguineam viri cognoverit? Ob hanc supervenientem adfinitatem reus jungi insoniti non poterit, licet insons non debeat jure suo carere. Eadem ratione si fortè unus ex conjugibus conscius sit impedimenti matrimonium dirimentis, ut loquuntur nostri, quod alter conjux ignoret, nec probare conscius in judicio possit, à thoro pœnitens abstinere, qua in specie adeo obligabitur conscius, ut teneatur alteri debitum ex ignorantia petenti denegare; imò etiam si iudicis officio obstrictus ad reddendum debitum declaretur, quod propositum in judicio impedimentum non poterit demonstrari, nihilominus jure refragabitur, dummodò omninò certus sit de impedimento, nec levi quadam credulitate adducatur; atque huc pertinet, quod rescripsit Summus Pontifex in cap. 44. sentent. excommun., conscius illum conjugem debere potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.

Difficiliore sanè ratione quoad cohabitationem dissolvitur matrimonium, scilicet nonnisi ex causis lege probatis, quæ ad paucas sequentes reducuntur. Prima est causa adulterii, quod si uxor admissit, poterit à viro repelli juxta Evangelicæ regulas, Matthæi cap. 5. vers. 32. Neque in hac parte diversa est uxoris conditio, utpotè quæ à viro propter viri adulterium se jungi se jure postulabit, can. 19. 20. & 23. caus. 32. quæst. 5., can. 4. & 5. caus. 32. quæst. 6. Exceptio est, si uterque conjux simili delicto iniquitatus fuerit, can. 1. & 2. caus. 32. quæst. 6., cap. 4. §. de divort., cap. 6. & 7. de adulter., non quidem quòd, uti nonnulli perperam scripserunt, paria delicta mutua compensatione abolita censeantur, sed quòd non mereatur audiri in judicio accusator illius criminis, quo & accusator ipse inquinatur, quemadmodum habetur in rescripto Imperatoris Antonini apud S. Au-

gustinum in lib. 2. de adulterinis conjugis cap. 18. Alia exceptio est, si conjux insons conjugem adulterii reum sibi reconciliaverit, quasi oblitus injuriæ in thorum illata, præsertim ubi reus criminis penitentiam egerit, can. 3. & 5. caus. 32. quæst. 7., l. 13. §. 9. ff. ad leg. Jul. de adulter., quasi in hac specie frustrà injuria semel remissa opponeretur. Ex generali principio sequitur, insontem maritum ita dimittere posse adulteram uxorem, ut ritè valeat monasticam vitam profiteri, aut ad sacros Ordines promoveri, contradicente etiam uxore, cap. 15. & 16. de convers. conjugat., non tamen sequitur, privata auctoritate in uxorem ream posse animadvertere, ut mortem inferat; quamquam enim legibus publicis Romanorum olim pœna ordinaria legis Pompejæ vel Corneliæ non plegeretur maritus uxorem adulteram occidens, l. 24. ff. ad leg. Jul. de adult., nunquam tamen id probatum fuisse legimus, argumento l. 22. §. ult. ff. eod. tit., à sacris autem canonibus manifestè novimus improbatum, can. 6. & 9. caus. 33. quæst. 3. Qua in re non videretur mihi longè recedere à sententia veterum legum Romanarum, qui diceret, ideo eisdem legibus non damnatum fuisse maritum adversus uxorem adulteram ad necem usque incitatum, proptereaquod, uti superius observabam, per matrimonium patria potestas in maritum transferebatur, & uxor veluti filiafamilias marito suberat; patri autem ratione patriæ potestatis jus aderebatur liberorum occidendorum. At recentioribus sæculis subblata à parentibus ejusmodi potestate, eam quoque maritis auferri necesse fuit, ne quidquam magis fictitio patri, qualis erat maritus, quam patri naturali concederetur; præsertim etiam postquam usu temporum inolevit, ut patria potestas in maritum non pleno jure transiret, quemadmodum etiam fuit superius observandum.

Non defuerunt aliquando, qui opi-

narentur, ex adulterio conjugis non tantum dissolvi conjugium quoad thorum, & cohabitationem, sed etiam dissolvi ipsum matrimonii vinculum, quasi liceat insoniti nuptias, vivente rejecta adultera, cum alia contrahere. Latius hæc opinio vagata fuit in Ecclesia Græca, atque in Tridentino Concilio à nonnullis propugnata: sed post diuturnam disputationem prævaluit Latinorum sententia, utpotè & sacris litteris, & Sanctorum Patrum monumentis firmata; quamobrem, uti refert Cardinalis Pallavicinus in sua historia lib. 22. cap. 4., paratus jam fuerat canon edendus, quo definitur, vinculum matrimonii ex adulterio alterutrius conjugis non dissolvi. Cum verò decretum istud Græcis, qui in eam sententiam ire se non posse profiterentur, displicere posse videretur, Tridentini Patres leniore concepta formula rem definitiverunt his verbis, quæ habentur in can. 7. de Sacrament. matrim. sess. 24. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjugis vivente aliud matrimonium contrahere, macharique cum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, qua dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.* Hæc definitio consonat vetustissimæ Patrum traditioni, quorum monumenta plurima extant in caus. 32. quæst. 7. Quod verò apud Græcos negotium facessere potuit, spectabat germanam interpretationem Evangelicorum verborum apud Matthæum cap. 5., ubi postquam enarravisset Christus Dominus, apud Judæos veteres in usu fuisse, ut quicumque dimitteret uxorem, libellum repudiî daret, ita subdidit: *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam machari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Nimirum, si causa fornicationis excepta à Christo proponitur, videbatur Græ-

cis, tum demum in dimissa nuptiis admitti adulterium, cum non causa fornicationis dimissa fuisset. Verum non fuit admittenda hæc interpretatio jamdudum & passim rejecta à veteris Ecclesiæ Patribus, can. 3. 4. & sequentibus caus. 32. quæst. 7., etenim illa Christi verba *excepta fornicationis causa* ad priorem tantum sententiæ partem spectant, in qua de dimissione mulieris, seu dissolutione conjugii quoad cohabitationem agitur, non ad posteriorem, in qua secunda nuptiæ dimissis interduntur. Profecit Marcus, qui Matthæi brevior dicitur, relaturus eandem Christi Domini sententiam in cap. 10., quòd de vinculo matrimonii formam conceperit, illam exceptionem omisit, ibi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, machatur.* Eodem modo Lucas in cap. 16. ita scripsit: *Omnes, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, machatur, & qui dimissam à viro ducit, machatur;* quibus addi possunt generalia Pauli verba sine ulla exceptione descripta in epist. 1. ad Corinth. cap. 7. ibi: *Is autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quid si discesserit, manere inuaptam, aut viro suo reconciliari.* Fortè quemquam turbabit canon 17. caus. 32. quæst. 7., ubi & nuper laudata Pauli verba exhibentur ea exceptione adjecta, nisi causa fornicationis, & traditur, adulteram uxorem dimissam inuaptam manere debere, dimittentem verò secundum conjugium permitti. Torquetur Gratianus ipse in ejus canonis interpretatione, quemadmodum liquet ex ejusdem verbis post canonem 18. ead. caus. & quæst. Cæterum hodie eruditissimus est, commentariis in epistolas Pauli Ambrosio tributa, ex quibus laudatus canon decerpit est, non esse Ambrosii; imò nec in eisdem commentariis omnes codices exhibent quod habetur in versic. *Ideo non subdit, quem versiculum Maurini Monachi Ambrosia-*

sianorum operum revisores testantur desiderari in pluribus codicibus, eaque propter suspicantur, hæretici cujuspiam manu fuisse adjectum. Sanctum Mediolanensem Antistitem aliter omnino sensisse, jamdudum indicaverunt Romani Correctores ad calcem dicti canonis 17. Gravior est difficultas, quæ proficiscitur ex canonibus 19. & 24. eadem causa, & quæstione. Canon 19. referendus est ad canonem 8. Concilii Compendensis anni 757., & canon 24. referendus est ad canonem 10. & 11. Concilii Vermeriensis anni 752. Eo autem tempore multi erant ecclesiastici viri imbuti disciplina Græcorum, apud quos propterea non satis constare poterat, num adulterio conjugis vinculum conjugii dissolveretur; hinc si post adulterium conjugis innocens conjux aliam duxisset uxorem, non laudabant quidem factum, sed non penitus improbabant, quòd non apud omnes peræque provincias improbaretur. Sanè notanda sunt ipsa Concilii Vermeriensis verba, à quibus recessit Gratianus in descriptione dicti canonis 24.; erat enim ita scribendum: *Si quis cum noverca sua uxore patris sui dormierit, nec ille, nec illa possunt ad conjugium pervenire. Sed ille vir, si vult, potest aliam uxorem habere, sed melius est abstinere. Si quis cum filiastra sua dormierit, similis sententia stare potest, & cum sorore uxoris sue, similis modo stare potest.* Itaque quotiescumque quis cum noverca, filiastra, aut sorore uxoris concubisset, conjux innocens tria peragere poterat; & primum quidem, perpetuæ continentiæ vacare, alterum, conjugis rei societate discissa novas celebrare nuptias, postremum, conjugis rei conjugio frui. Patres Vermerienses primum faciendum laudant; potius verò, quam ad postremum res reduceretur, tanquam minus malum secundum permiserunt. Fortè verò Patribus Latinis octavi sæculi in quibusdam Provinciis admodum gravis videri potuit auctoritas Theodori Cantuariensis, cujus documenta tunc erant vulgatissi-

ma, & maxima in existimatione. Hic autem vir apud Græcos eruditus in Latinas plures Provincias Græcam disciplinam facillè traduxit; ac cum inter cætera docuisset juxta institutiones Græcorum, ex adulterio conjugis matrimonii vinculum dissolvi, vereri plurimum poterant Compendenses Episcopi, ne penitus eam doctrinam damnarent, si contrarium scribissent; quamobrem modestius scribere voluerunt, agentes, melius agere conjugem, qui perpetuò conjugis abstinere. Videatur Pœnitentialis liber Theodori Cantuariensis cap. 11. Sed aliter sese habuerunt generales Latine Ecclesiæ constitutiones, quibus, rejectis cæteris, omnino præferendum est, postquam præsertim fuerunt in Tridentino Concilio confirmata.

Altera dissociatione cohabitationis causa est, si alteruter ex conjugibus fidelibus à fide deficiat, seu vel ad hæreticos pergat, vel Judæorum, Æthiæcorumque superstitionibus se dedat, cap. 6. de divortii, cap. ult. de convers. conjugat., non tamen ea de causa solum intelligetur ipsum conjugii vinculum, cap. 2. & 7. de divortii, Concil. Trident. sess. 24. de Reform. matrim. can. 5. Rationem, quare dimitti, aut relinqu conjux hæreticus possit, aliqui in eo collocant, quòd sub nomine fornicationis, qua interveniente dissociari posse conjuges diximus, hæresis comprehendatur, can. 5. & 6. caus. 28. quæst. 1. Ego puto, in eo potius collocandam, quòd subsit, ex individua vitæ consuetudine periculum gravissimum fidei conjugii, unde & ipse in conjugis hæretici crimen trahatur, dicto cap. 2. de divortii. Ex quo sequitur, conjugem fidelem teneri ad recipiendum, & sibi reconciliandum hæreticum, si iste pœnitentiæ ductus ad Ecclesiam reversus fuerit, & in Ecclesia per manus impositionem admittitur, dicto cap. 6. & 7. de divortii, nisi tamen in ea conditione esse ceperit fidelis, qua jungi amplius reverso non possit, quemadmodum

dum contingeret, si jam religiosam vitam in monasterio inivisset, dicto cap. ult. de convers. conjugat. Atque hoc est discrimen, quod intercedit inter crimen hæreseos, & crimen adulterii à conjugate admittis; etenim dimissam semel adulteram uxorem ne pœnitentem quidem recipere vir innocens compellitur, ex ea fortè ratione, quia adulterium directè adversatur fidei in contrahendo conjugio præstitæ, ideoque difficilior aboletur. Non ignoro, vulgò in contrarium adferri capitulum 3. de adulteriis, ubi sub nomine Arelatensis Concilii ita definitum legitur: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, que non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, visceris cum illa, reus erit, & ejus peccati participes. Quòd si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sapè, recipere peccatricem. Pithæus ad hoc capitulum adnotavit, laudari potius debuisse ex Concilio Aurelianensi. Verùm neque in Aurelianensibus, neque in Arelatensibus Conciliis editis istud monumentum reperitur. Imò & si ecclesiasticos canones evolvam, passim quidem traditum agnoscemus, posse virum sibi reconciliare adulteram uxorem post pœnitentiam, si voluerit, non tamen teneri; imò & nec posse eam sibi statim reconciliare, sed tum demùm, cum pœnitentiam uxor absolverit. Ita statutum est in canone 102. Codicis Africanæ Ecclesiæ. Ita etiam in can. 12. Concilii Nannetensis, cujus verba relata sunt in libro 7. Capitularium Francorum cap. 332. ibi: *Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem. Illa vero, secundum quod superius insertum est, publicè agat pœnitentiam. Vir vero ejus illa vivente nullatenus habeat licentiam aliam ducere uxorem. Quòd si voluerit adulteram sibi reconciliari, licentiam habeat, ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exalta pœnitentia ad communionis gratiam, sicut superius continetur insertum, utrique accedant. Similia le-**

guntur in pœnitentiali Bedæ, quod evulgavit Mansius in tomo 1. Supplementi Labbeani pag. 573. ibi: *Vir, qui uxorem suam invenit adulteram, & non vult dimittere eam sed in matrimonio suo adhuc habere, annos duos paniteat, & jejunia religiosa exerceat. Et quandiu ipsa paniteat, abstineat se à matrimonio ejus, quia adulterium illa perpetraverit. Addo canonem alterum inter adscriptos S. Patricio apud eundem Mansium num. 5. loco citato pag. 337. ibi: *Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducat aliam uxorem, quamdiu viva fuerit uxor prima. Si forte conversa fuerit, & agat pœnitentiam, suscipiet eam, & serviet ei in vicem ancilla, & annum integrum in pane & aqua per mensuram paniteat, nec in uno lecto permaneant. Multa alia monumenta non memoro sanè similia, quæ in medium ad hanc rem proferri possent, ex quibus deducatur, non esse verosimile, Arelatenses, aut Aurelianenses Episcopos in eam ivisse sententiam. Quòd si Gregorianæ Collectionis auctoritas tanti habenda sit, ut nihil omninò in ea legi dicatur, quod ex germanis monumentis de promptum non sit, propterea quæ dictum capitulum interpretari potius malis, quam rejicere, non dissecantiam, eam ipsi interpretationem asfingendo, quæ vulgatæ aliorum canonum sententiæ conveniat. Nimirum dicam, ideo tradi in eo loco, maritum debere recipere pœnitentem, ut insinuetur, non aliter debere recipere, quam si pœnitentiam exegerit; atque huic interpretationi consonant illa verba, *sed non sapè*, quasi quæ sæpè in idem crimen incidere, inania pœnitentiæ argumenta exhibuerit.**

Hæreseos, seu infidelitatis exemplo, nonnulli scripserunt, idem esse de aliis, gravissimis saltem, criminibus sentendum, ut ex. gr. uxor innocens à viro scelesto divertere possit. Ego puto, non esse admittendam dissociationem, quoties maritus uxorem minimè pertrahit in criminis societatem; videtur enim pœnitentia illa esse singularis in crimine hæ-

seos ob gravius, quod exinde imminet animæ periculum ac detrimentum, cap. 2. de divortiiis, can. 17. 18. & 21. caus. 32. quæst. 5. Quoties verò mulier in consortium sceleris à marito vocatur, & pœnitentiam trahitur, ego non dubito, quin indulgendum sit uxori sibi per dissociationem consulenti, quousque vir non resipiscat; quemadmodum contingeret, si maritus leno proponeretur, vel si fur, aut latro domum adferret furtivas res, & uxori custodiendas committeret. Hæc suadet naturalis quædam ratio, qua distinguantur depravatio voluntatis, & depravatio intellectus. Duæ istæ animi facultates ubi depravatæ fuerunt, non aequè alios inficiunt. Nam prava aliena voluntas, & operatio quamquam mali exempli sit, non tamen adeo facillè ceteros movet, ut similia persequantur; at prava alienus intellectus, cujus vis potissimum in suadendo consistit, procliviores ceteros reddit ad sequenda aliena vestigia. Itaque hæresis intellectum inficit, ac vitiat, inficiunt quoque ac vitiant intellectum cætera scelera, quando eorum reus ceteros urget ad eadem, atque impellit; quamobrem mirum non est, si in his adjunctis conjux innocens à reo conjuge divertere valeat, quamquam in aliis causis adhuc individua vitæ ineunda rationibus obstringatur.

Causam quoque dissociandi conjugum integro manente conjugii vinculo præbet gravissimus metus, ne alteruter subjaceat discrimini vitæ, vel salutis, si conjugi adherere pergat, quod primum ex morbo sonto proficisci potest,

quemadmodum superius observandum fuit ad titulum de conjugio leprosurum; deinde evenire potest ex furore conjugis, qui identidem morbo percitus facillè sit sano conjugi graviter nociturus; item ex insidiis clam ab uno conjuge paratis, putà venenum conficiendo, & ministrando; ac demum ex inferenda mariti sævitiæ; quæ sanè omnia erunt in prudentis judicis æstimatione; etenim ubi de divertendo agitur, res maximè gravis est æstimanda, nec facillè ob leviusculas causas eò erit deveniendum, cap. 8. & 13. de restitut. spoliator., atque ita interpretandum censeo Nicolai I. rescriptum ad Bulgaros, cujus verba sunt in can. 22. caus. 32. quæst. 5., neque enim Nicolaus aliud intueri volebat, quam non esse facillè, & levibus de causis conjuges odio habendas, vel dimittendas, quemadmodum eousque de more Æthnicorum Bulgari consueverant. Sane in his causis temporale divortium erit, nimirum quousque morbo sonto, furore, vel vitio conjux laboret; quòd si de sævitiæ, aut paratis insidiis agatur, ex arbitrio judicis pendebit ea cavere, quæ pro personarum adjunctis opportuna videbuntur, ne fortè sub specie boni gravissima iniquitas lateat, & reconciliatione simulata irreparabile malum emergat; atque hoc est, quod ait Alexander III. in dicto cap. 8., *Recepta sufficienti cautione, & Innocentius III. in dicto cap. 13. in fine, Sufficienti securitate provisâ uxorem ad redeundum cum viro cohabitaturam compelli.*